

Item pronunciamus et declaramus imperiali^e auctoritate^e, quod quicumque laicus, cuiuscunque status vel condicionis exstiterit, ausu sacrilego et proprie temeritatis audacia sacerdotem vel clericum secularem vel religiosum diffidaverit, proscripserit, captivaverit, spoliaverit, occiderit, mutilaverit aut in carcere detinuerit ac^f huiusmodi malificia perpetrantes scienter receptaverit vel favorem in^g hiis eis^g prestiterit, preter penas a sacris imperialibus et canonicis sanctionibus eis inflictas sunt^h ipso facto infames et omni honore privati nec ad placita vel consilia nobilium aliquatenusⁱ admittendi. Volumus eciam hortamur et requiramus episcopos et prelatos ecclesiasticos, ut hanc nostram legem et constitutionem in synodis et ecclesiis publicare^j procurent, ne in premissis excedentes per simulatam ignoranciam suas malicias valeant excusare.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre
 constitutionis et inhibicionis cassacionis, irritacionis, annullacionis necnon pronunciacionis et declaracionis
 paginam quovis ausu temerario infringere aut ei^k quomodolibet contraire

e) auctoritate imperiali C, C_f. f) aut C, C_f. g-g) eis in hoc C, C_f.
 h) sint C, C_f. i) aliquatinus C, C_f. j) publicari C, C_f. k) eis A_b,
 B, C, C_f.